

**www.e-rara.ch**

## **Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia**

**Prideaux, John**

**Tiguri, 1672**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Oratio VII. inauguralis. De sabbatho.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

faciem, qui defuncto recusant, excitare semen. Et detrahenda sunt, vobis ocrea à propinquis vestris, si munus tam severè inunctum perfidè detrebetis. Domestica habetis exempla. Pergere, est tantum sequi; Antiquos imitari, patrizare. Sin hæsitetis inter tot diverticula, cui præcipuè insistatis tramiti, ecce vobis Alexandrum & Henricum, Doctorem Irrefragabilem, & solennem, nomine saltem unitos, quicum deliberare potestis, quæ fieri, vel omitti possint salvâ conscientia.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit omnis laus, honor, & gloria, in secula seculorum, A M E N.

---

ORATIO VII. INAUGURALIS.

DE

SABBATHO.

IN PROMOTIONE

DOCTORUM

Christ. Greene. Jo. Tolson. Tho. Jackson. Tho. Benson.

Jo: Harris.

OXONII in Comitibus habita Anno 1622.

---

Levit. XIX. v. 30.

*Sabbatha mea custodite, & Sanctuarium meum metuite: Ego Dominus.*

**R**edit mihi in orbem (ut videtis, Florentes Academici, vosque eruditione & humanitate illustres Advenæ) hoc anniversarium procedendi pensum, quo vincit (ut ita dicam) huic caucaso, jecur meum tot Aquilis necessario est aperiendum. Tot agitata procellis, & à suis indignè habita, abortum (quod timendum erat) adhuc non fecit Theologia. Ecce, inquit, ego & pueri mei quos dedi mihi Dominus. Et licet non gloriatur, ut antehac de πολυτελίας, solatur tamen seipsam in hisce paucis, quorum modestia pollicetur nuditati operimentum. Mei muneris est (sicut nôstis) ut more loci instructi & ornati, post tot exantlatos labores honestè tandem dimittantur. Et quoniam septimus jam decurrit Annus, quo in hoc Olympico certamine præmia distribuo; nec desunt de Sabbathismo litigia, quæ feriant Ecclesiæ jamdudum creârunt molestias; non intempestivum (ut spero) videbitur (Patres & Fratres) si de hoc argumento pauca præferar; non ut quemvis pungam, licet erroribus non parcam; qui hinc Atheismo, illinc Judaismo, nimium observantur favere. Atque ut à fonte noto & illimi deriventur, quos sectamur rivuli, sit Textus

Levit.

Levit. 19. 30. quod cap. 26. 2. ad majorem proculdubio cautelam eisdem verbis repetitur, *Sabbatha mea custodite, Sabbathum*, non à שבת septem, sed à שבת cessare, definire, quiescere, deducunt peritiores. Cognationem observatur habere cum שבת sedere & שבת venerari, laudare, quæ usum ejus & celebrantium officium non obscurè indicant. Instituti non est mei gerras græculas persequi, Plutarchi & aliorum, qui à Σαβάζεω ovare, tripudiare, exporrigere frontem, arcessunt etymon. Vel à Σαβάζεω Baccho, sive ejus filio apud Cœlium Rhodiginum: unde *Sabbi Manades* sive sacriales passim apud Ethnicos. Vel à σαββῶν, liene, quo laborantes Judæi præ cæteris in Sabbathi quiete affectabant refrigerium, indicante in lib. de annis & mensibus Gyraldo. Vel à *Sabba inguinum ulcere*, ab Ægyptiis sic nuncupato, quod meritò irridet lib. 2. adversus Appionem Iosephus. Notum est enim quàm vitiato canali, profluxerunt hujusmodi à vetustiore Hebræorum fonte, qui Bacchico helluandi ritu, id tandem sunt consequuti, ut ipsius potius Orgiis, quàm Iehovæ cultui Sabbatha sua destinasse crederentur. Ista autem *Sabbatha*, vel *Annorum* fuerunt, vel *Hebdomadaria*; Annorum, vel quovis *septennio*, quo terra ipsa feriabatur, vel anno quolibet *quinquagesimo*, quo unusquisque rediret in Iubilæo ad pristinam familiam & possessionem. Occurrunt & alia ad minimum quinque hujus vocabuli in Scripturis *significata*, de quibus explicatè Hospinianus de festis Judæorum cap. 3. Sed *Hebdomadarium*, quod in Decalogo præcipitur, cum plurimis hodie cedat in Petram scandali, non ingratum forsan erit, fluctuantibus aliquid fixius de hoc seorsim percipere. Nil frequentius est in ore Zelotarum, in quovis ferè cœtu, quàm Sabbatha Domini inter nos sacrilegè profanari: Quartum urgent & exponunt mandatum ad literam, ac si æquè nos ac Judæos obligaret. Congeruntur Vet. Testamenti omnes textus ad arctissimam hujus observantiam: unde invaluit inter nonnullos *superstitio*, de non instruendo foco, in brumali frigore, & non coquendis cibis ad pauperum refectionem, & hujusmodi, quæ non tam Christianæ libertatis, quàm charitatis & misericordiæ nervos incidunt. Horum ut non retardem zelum, sed si (fieri possit) in melius dirigam, *Tria* (prout instituti postulat ratio) de Sabbatho paucis percurram. Primum erit *Institutio*, secundum *Mutatio*, tertium *Celebratio*: Unde cum cæteris intelligant himei Filij, quàm libratè incedendum sit in hujus capitis discrimine, ne cum profanis à sinistra diffluant, vel à dextris cum cerebrosis infaniant.

2. Sabbathi institutionem omnes ad *Deum* referunt, qui de Deo vero, omnium creatore, & gubernatore, ex verbo ipsius verè sunt instituti. Sed de hujus institutionis *primordio*, & promulgatione, non ita inter perspicaciores convenit. Quidam Sabbathi profapiam à primis naturæ arcessunt falsijs, ubi Deus *diem septimum* peculiari *benedictione* & *sanctificatione* coronavit, Genes. 2. Unde meritò quærat quispiam, *num ante Legis promulgationem Sabbathum de jure naturæ esset observandum?* Affirmant ij, qui promptiores sunt ad quidvis asserendum, quàm parati ad solidè probandum. Quid enim (inquiunt) annon Sabbatho in primo suo crepusculo *benedicere* & *sanctificare*, est idem ut benedictum omnibus Adami posteris, & sanctificandum proponere? Si cætera in Decalogo præcepta à naturæ fluant principiis, quâ ratione hoc exauctoretur? Num verisimile est hoc ceremoniale fortuitò irrepsisse inter moralia? Aut voluisse Mosen tanta cum sollicitudine sine discrimine proponere, quod tanto postea errore Ecclesiam involveret? Addit Toraniellus, vix credibile esse *Enosh* separasse se, & suos à Cainitarum fæce, *ad invocandum nomen Iehovæ*, sine tempore destinato, ad tale munus obeundum. Genes. 4. Nec *sacrificandi ritum* putat Calvinus

Avenarius.  
Cruciger.  
Sympof. l. 4.  
ad sub finem.  
Liber 7.  
cap. 15.

Lev. 25.

Vid. Azor.  
Inst. Moral.  
part. 2. q. 3.

Vid. Hospin.  
de Origin.  
Ecthor. Iudaor. & Eth.  
l. 3. c. 3.

Annal. fac.  
ad mundi  
diem 7.  
in Exod. ad  
præcep. 4.

peractum ab Abrahamo, & cæteris Patriarchis, nullo habito respectu ad hujus diei solennitatem. Rationem reddat qui potest, quare ante legem promulgatam Exod. 16. in die septimo cessavit *Manna*; nisi quia ad exemplum Domini, ab ipsius mundi primordio invaluisse Sabbathi observatio. Sunt quidem ista hujusmodi, quæ colorem forsan inducunt, sed fidem nullatenus faciunt. Reclamat igitur ex antiquissimis Tertullianus, *Doceant* (inquit lib. peculiari adversus Judæos) *aut Adam sabbatizasse, aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem, Sabbathi cultorem fuisse; aut Noe arca fabricatorem propter diluvium immensum, Sabbathum observasse: aut Abraham in observatione Sabbathi, Isaac filium obtulisse; aut Melchisedec in suo Sacerdotio legem Sabbathi accepisse.* Christianos licet non nomine, re tamen fuisse *Patriarchas*, hoc argumento probat Eusebius, Hist. 1. cap. 4. Quia ut nos Christiani, sic neque illi observarunt Judæorum Sabbathum. Unde permultos asserunt Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, & Beda in Hexaëmero, sanctitate præcelluisse, qui nec unquam fuere circumcisi, nec observarunt Sabbathi. Idem expressè docet Abulensis in Genes. 2. q. 4. Tornielus, Angelos in creationis complemento Sabbathum observasse, ex Jobi 38. colligit, *Ubi eras quando ponebam fundamenta terra, cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei? Veruntamen* (addit) *in terris ista Sabbathi sanctificatio, non nisi post multa secula in usum venisse creditur.* Conjecturâ probabili elicitur (inquit Calvinus) Sabbathi sanctitatem fuisse priorem lege. Sed hoc recentioribus quamplurimis non satisfacit. Quapropter illis affirmantibus, ex textu incumbit probatio.

3. Quam diluta enim sunt illa superius allata? *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*, ergo tunc temporis præcepit, ut ab hominibus sanctificaretur? Præmisit siquidem & anticipavit hoc Moses (juxta Abulensem) ut mandati ostenderet æquitatem, non initium. *Enosh* potuit invocare nomen Domini, & *Abraham* sacrificare, non statò Sabbathi recursum, sed *rarius* vel *frequentius*, pro data opportunitatis ansa. Postremò, cessatio *manne* in sabbatho, non mandati erat promulgatio, sed ad idem promulgandum *preparatio*. Quòd si in Sabbatho neglexisset *Jacob* gregis Labanici custodiam, aut minuissent *Israelitæ* sub Pharaone lateris aut stipulæ pensum; nec illerixas, aut illi fustidineas ferri-crepinas Infulas impendio evaissent. Ex præscripto autem sabbatizantium, quò se verterent? Sabbathum observas? Certa Crux: negligis? Justissima impendet Dei, ob legem violatam, indignatio. Ad has rediguntur angustias qui sabbatum, ut naturæ dictamen, miseris conscientis obrudunt. Quare ut ante Mosen verbum *auditum* habuerunt Patres; *scriptum* postea accepit ex multis familijs constata, & manumissa nationalis Ecclesia: Ita sabbathi forsan quis dicat invaluisse, in ipsorum familijs, ex prima Benedictione & sanctificatione, *liberam observantiam*; quam postea liberatæ Ecclesiæ & adultiori, pro tempore injunxit *mandatum*. Sabbathi igitur *institutio* rectè figitur in 4. decalogi *mandato*; quod cujusmodi sit *Naturale, Morale, aut Ceremoniale*, consequens est ut distinctius pensitemus. *Ceremoniam* nudam & abrogandam, pari serie & passu cum moralibus, (quæ semper obligant) ambulare, non immeritò primo intuitu videtur absolum. Consentunt igitur cordationes, aliqui saltem *morale* in isto mandato latere; unde variè sese expediunt, sed in eundem sensum, *Substantiam* ejus *moralem* esse, *circumstantias* in *ceremoniam* evanescere. Naturale est (juxta Abulensem) ut *certum aliquod tempus divino cultui seponeretur*: Legale, quòd *uni è septem*, vel præcisè à creatione septimo diei, cultus iste astringeretur. *Quies* igitur est *moralis, dies* ceremonialis. Ut etiam fatentur ij, qui ad Judæismi suspicionem urgent *mandatum*. Consentit Aquinas 2. 2. q. 122. art. & cum illo

Conf. Epi-  
phanium  
Ehronitas  
Theodoret  
in Ezech. 20  
In principium  
Gazeum in  
Genes. 2.  
Hodveden.  
Matth. 1. aris  
ad An. 1200.  
ΣΤ' ἔνσω-

ματ  
αὐτοῖς πε-  
ελομῆς  
ἐμελεν,  
ὅτι μὴ δὲ  
ἡμῖν, ὅ  
σεβασίων  
ἔπιτηρῆ-  
σεως ὅτι  
μὴ δὲ ἡ-  
μῖν.

Vid. Damaf.  
Fid. Orth.  
l. 4. c. 24.  
Irenæum  
Advers. hæ-  
ref. l. 4.  
cap. 30.  
Annal. fac.  
ad diem 7.  
parag. 2.  
In Exod. ad  
præcept. 4.

In Gen. c. 2.  
q. 4.

Homil. Ec-  
clesia Ang-  
lie.  
Calvin. Infl.  
l. 2. c. 8.  
Zanch.  
Tom. 4. l. 1.  
cap. 19.

illo cæteri (quod rarius est) cujuscunque sectæ Scholastici. Et hinc constat, quo sensu Patres *ceremoniale, umbratile, figuratum* aliquoties illud appellârunt. Tria deprehendit in eo Calvinus perpetuæ observantiæ; *Cessationem* ab operibus nostris stato tempore, ut Deus in nobis operaretur: *Indictionem* publicorum conventuum, ad religionis & pietatis exercitium; *Sublevationem* servorum & jumentorum, ne continuo opere fatiscerent. Totidem adducit Abulensis ad ceremoniæ *instabilitatem*; *Taxationem* diei, ut vel unus esset è septem, vel in serie creationis septimus: *Inchoationem* & continuationem à vespera ad vesperam: *Strictam*, in foco non struendo, & cæteris hujusmodi, *observantiam*. Quæ utcunque verissima sint, & partitè indicant, quid nobis in diei Dominicæ sanctificatione adhuc comperat, & quid per adventum Christi evanuerit: quia textus tamen *præcepti* ista non includit, videntur potiùs aliud ponere, quàm hoc exponere. Nam concessis omnibus, textum ego seorsum intueor, & quæro præcisè, quid præcipitur? Occurrit solummodò in frontispicio *Sabbathi sanctificationis*. At quòdnam est illud Sabbathum? Septimus dies. Quo calculo? à primo creationis computando. At incidit hic in Judæorum Sabbathum: præceptum igitur si pro die Dominico urgeas, revocas ad Judæismum. Unde Augustinus, *Quisquis diem illum observat sicut litera sonat, carnaliter sapit*. Frustrà ergo sunt malè feriati, qui sabbathum, vel septimum diem ita hîc in Mandato dilarent, ut diem nostrum Dominicum interciperent; vel ita calculum instituerent, ut sabbathum, de quo hîc agitur, in illum incideret. Ac si actum esset de cæteribus Christianis, nisi ex sepulta Judæorum synagoga spiritus haurirent, nec valeret diei Dominicæ constitutio, nisi ex hoc præcepto pro diei taxatione robur obtineret. Pseudopropheta hujusmodi parcat Calvinus: *Qui unius diei in hoc mandato designati in hebdomade observationem, ut morale in hoc mandato remanere nugabantur: (verba ipsius sunt) id non aliud est, quàm in Judæorum contumeliam diem mutare, diei sanctitatem animo eandem retinere*. Addit, *Et sanè videmus quid tali doctrinâ profecerint: qui enim eorum constitutionibus herent, crassâ carnalique Sabbatismi superstitione Judæos ter superant*. Hoc autem Sabbathi hujus in diem Dominicum *mutatio* (quod secundò mihi explicandum proposui) dilucidius expedit.

4. Videmus institutionem Sabbathi Judaici in mandato, exemplo ipsius Dei confirmatam, observavimus in eodem quid morale sit retinendum. Superest jam ut despiciamus quid *ceremoniale* sit, & quomodo abrogatum. Si enim hoc non constaret ex certis principiis, fluctuaret semper conscientia, & ad Judæismum relaberetur. Quis enim non ita secum reputaret? Video præceptum inter moralia, quod distinctè *septimi diei* à creatione observationem injungit: cætera adhuc valent, cur non & hoc? Meum non est, nec Ecclesiæ, Leges Dei pro arbitrato refigere, sed accipere. Quid faciendum? Qui textum istius mandati nimium premunt, eliciunt potiùs sanguinem, quàm solatium. Succurrit igitur Servator: *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum*, Marc.2. Ideò Filius hominis est etiam *Sabbathi Dominus*, & proinde mutare illud potest, prout hominum utilitas exigit, ut ex Beda habet Glossa. At venit, non ut *Legem solveret*, sed *impleret*, Matth.5. *Legemne destruemus per fidem?* (inquit Apostolus.) Absit: imò *Legem stabilimus*. Umbras igitur dispulit, lucem retinuit, & propagavit, ostendens inter Legem & Evangelium suavissimam harmoniam Ad Rom.14.Gal. *Judaicam dierum observationem* generatim perstringit Paulus; distinctim verò *Sabbathum abrogatum* ostendit Colof.2.16. *Nemo ergo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei, sive* (ut meliùs reddi Beza) *respectu se-*

Ad 2. sent.  
d.27  
Inst. l.2.c.8.  
§ 28.

Vbi supra.

De spit. &  
lit. cap. 14.

Inst. l.2.c.8.  
§ 34.

Verf.27.

*sti, aut Sabbathorum, quæ sunt, umbra futurorum, corpus autem Christus.* Non judicet, id est, non condemnet, si non observetis; quia umbræ istæ ad exortum Justitiæ Solem, penitus evanuerunt. Ut igitur cibum & potum exigit natura, *delectui* non astringitur Legali Christiana libertas: ita Deum *stato tempore* publicè in Ecclesia esse colendum, dicit ratio, sed à Sabbathi Judaici necessitate liberavit Evangelium. Abrogatum igitur cum hîc habeamus Judæorum Sabbathum, dispiciamus quo jure successit dies Dominicus. Multa mihi transilienda sunt (Auditores) ut ab aliis prolixius discussa, & in medio posita. Quid enim attinet Anabaptistas, Familistas, Svyenckfeldistas, insectari, qui in diebus omnibus promiscuè habendis, pro libertate Christiana, licentiam intromittunt Ethnicam? Aut è contra Sabbatarios conclamatos protrahere in proscenium; qui Sabbatizando Judaïsmum revocarent. *Fluvij* cujusdam Sabbathi meminit Josephus in Palæstina, qui post sex dierum cessationem, Sabbatho quovis Judaico alveum impleret. Refert & idem Plinius, sed contrario prorsus modo, ac si siccaretur omnibus Sabbatis, alijs diebus exundaret. Josepho patrocinatur Baronius, Plinio Rabbini; qui inde Sabbathum suum omnibus observandum concluderent. Sed hallucinatum fuisse *Baronium* ex vitiosa lectione, pulchrè ostendit Casaubonus. Rabbinos autem sic excipit Galatinus. *Si fluvius iste dum erat, observandi Sabbathi erat signum, nunc quia nusquam comparet, nusquam est observandum istud Sabbathum.* Ejusdem momenti dissidio commissos Fanaticos, relegamus si placeat ad quærendum istud flumen, dum nos quæ inter saniores hîc oriuntur litigia, attentius explicemus, & quantum fieri potest, componamus.

5. Qui diem Dominicum ut *heredem* Judaici admittant Sabbathi, vel hoc urgent ut *jure Divino* stabilitum, vel *Ecclesiasticâ* constitutione introductum. Jure Divino pugnant priores, vel crassius ex Ver. Test. vel ex Novo cautiùs. Ex Ver. Test. duplici medio, *sanctificationis* Sabbathi in creatione prima, *sanctionis* diei septimi, in 4. mandato. Constitutione Ecclesiasticâ nituntur secundæ classis authores; quidam simpliciter, atque ij præcipuè sunt *Pontificij*, vel *Arminiani*; ut patet ex Jesuitis, Canonistis, & Scholasticis, & Remonstrantium. ultima declaratione ad mandatum 4. Quibus accedunt Brentius ad Levit. 23. Chemnitius in Locis, & è nostris non pauci. Alij constitutionem istam *praxi Apostolicâ* sic corroborant, ut Ecclesia dicatur *promulgasse*, & continuasse, quod Apostoli primitus firmarunt. Ex hisce omnibus fluctus mihi videntur excitari in simpulo, nisi quod prior sententia nimium propendet in Judaïsmum, & recepta Theologorum placita imperitiùs dicam, an proterviùs arietat. Cui enim non innotuit fundamentum illud Scholasticorum ex Heb. 8. Quod *mutato Sacerdotio mutatur etiam & lex*: unde inferunt præcepta *moralia* hodie non obligare, ex præcedanea Mosis promulgatione, sed quatenus *legi nature* tam Gentibus quàm Judæis communi, consentiunt, & à Messia postea explicata fuerunt in Evangelio & confirmata. Nervosè hoc confirmat Zanchius Tom. 4. l. 1. c. 11. inter cætera ex hoc de Sabbathi observatione mandato. *Si decalogus* (inquit) *quatenus per Mosen traditus fuit Israëlitis, ad Gentes quoque pertineret, Gentes etiam Sabbathum sanctificare coactæ fuissent ex mandato Dei, non minus quàm Israëlita.* Cum verò constet ad hujus diei sanctificationem Gentes nunquam fuisse obligatas, manifestissimum sit, neque reliquis præceptis Decalogi (quatenus Decalogi mandata sunt, & per Mosen populo Israëlítico promulgata) Gentes fuisse unquam, aut esse posse obstrictas. Deinde animadvertunt isti præcipites, quibus se induunt laqueis, qui diei Dominici autoritatem, ex præcepto Mosaico conciliarent. Mandato enim si innitare, cur ad amussim (prout sonat)

De bell. Jud.  
l. 7. c. 24.  
Lib. 31. c. 2.

Ann. 31.  
num. 38.

Exerc. 15.  
parag. 20.  
Lib. 1. c. 9.

Vid. Bellar.  
de cult. san-  
ctor. l. 3. c. 11  
Esiium in 3.  
sent. d. 37.  
parag. 13.

sonat) non observas? Quo jure pro septimo à creatione, *primum septimana* substituis? Quà indulgentià tibi licet ignem accendere, aut cibos torrere, aut elixare, quod Judæis per mandatum non licuit? Sin egenorum hujusmodi te pudeat elementorum, & moralia tantum retinenda secernis, (ut non excutio distinctionis infirmitatem, quam textus non suppeditat) stationem deseris, & illis vel invitis accedis, qui misso Mosis velamine, Dominici diei fundamentum in *Luce* quarunt *Evangelii*.

6. Atque hîc qui institutum expressum jactitant in *Nov. Test.* incumbit impietatis ut ostendant. *Servatorem* constat frequentius de superstitione Sabbathi observatione Phariseis litem intendisse, mandati sensum plenius explicasse: at ubi de abrogatione ipsius suspicio? ubi de surrogatione diei Dominicæ vel obscurissima occurrit mentio? Ascendit is, præcones relinquit Apostolos, quid illi tandem? Annon Sabbathum Judæorum cum Judæis, sine scrupulo & murmure observârunt? Cœtus in Sabbatho coactos libentissimè instituerunt? Annon insequens Ecclesia tam Sabbathum hoc, quam diem Dominicum per aliquot annorum decursum sacris conventibus destinavit? Notiora sunt ista quam ut probatione indigeant. Unde diem Dominicum non juris esse Divini, sed *Canonici*, pronunciant Pontificij. Non habenda est pro mandato Evangelij, sed pro *ordinatione politica* (inquit Brentius.) A Domino nostro Jesu Christo sub novi Testamenti tempore *discrimen dierum* proisus esse sublatum, clamant in Confessione Remonstrantes. Regulæ istæ consonant generali, quam ex Scholasticis in hoc argumento proponit Suarez, de Relig. l. 2. c. 1. *In lege nova non sunt data specialia præcepta Divina de accidentalibus observantiis.* Non defuerunt tamen inter istas hæres Pontificias Anchoranus, Panormitanus, Angelus, Sylvester, qui pro diei Dominicæ divina autoritate, adversus remissiores istos advocatos masculè sese opposuerunt. Siquidem (ut rectè observant quartæ sententiæ propugnatores) leviculum videtur, & toti Religionis systemati admodum periculosum, si publici cultus necessitatem circumscriberet humana constitutio; nec aliàs conveniret Ecclesia, nisi quando placet dissidentibus fortè inter se Ecclesiasticis. Quid impediti prædijs, boum aut rei familiaris sarcinis, (ut isti invitati in Evangelio) annon facilè se excusarent ab humana conditione? Dispensaret secum prophanus, ne intersit precibus, & concionibus; quilibet quidvis agendi, vel negligendi, sibi ipsi indulgeret veniam, si nihil eliceretur ex Scripturis, quod præter politicum institutum obligaret conscientiam. Prudenter itaque & piè, præter solennem, & non interruptam Ecclesiæ Traditionem, *Apostolica* urgetur *praxis*; ut constet Ecclesiam nil propagasse in re tanti momenti, quod ab *istis columnis* non acceperit. Tres adducuntur vulgò textus, qui huic rei plenissimam fidem faciunt. Primus est Act. 20. 7. *Unâ Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*, (inquit Lucas) hoc est, *primâ hebdomadis* (ut ad mentem omnium Interpretum explicatius vertit Beza) *Paulus disputabat cum eis*, profecturus in crastinum, protraxissetque sermonem usque in mediam noctem. Cur expressè dicitur convenisse Discipulos ad verbi prædicationem, & Eucharistiæ administrationem, *hoo die* potius quam alio? Aut celebri Judæorum Sabbatho; nisi invaluisse tunc temporis consuetudo, solennes conventus agendi; evanescente tum paulatim Judaici Sabbathi Ceremoniâ? Ita visum est Patribus, & cæteris ferè omnibus Interpretibus. Fateor nihilominus à facto *accidentario*, institutum *solenne* non concludi, istâ vel simili formâ. *Convenerunt tunc temporis Discipuli*, ergo *præceperunt*, tunc temporis ut haberentur ad eadem sacra peragenda conventus Ecclesiastici? Quis non animadvertit hîc dissolutas scopas? Accedat igitur *præceptum*, 1. Cor. 16. 2. *Per unum Sabbathi*

Exod. 16. &amp; 35.

Matth. 12.  
Matth. 2.  
Luc. 6.  
Ioh. 5.  
Act. 13. 17.  
18. Cap.  
Hosp. de Fest.  
Christ. c. 9.  
Vid. Mon-  
tholonis.  
Promp. ver-  
bo Sabba-  
thum.vid. Azor.  
Inst. Moral  
part. 2. C. 2.Zanch.  
Tern. 4. l. 3.  
cap. 19.

*Sabbathi unusquisque vestrum apud se separet; Quid? Collectas in Sanctos. Cur? Quia ordinasset etiam hoc Apostolus in Galatiæ Ecclesijs. Ordinatio ergo hic intervenit Apostolica, ab Ecclesijs observanda: sed quid ordinat? Collectas die primoseptimanae habendas, non primum istum diem, ad publicum Dei cultum, perpetuò esse seponendum. Tertius locus est, Apoc. I. 10. Fui in spiritu cum τῆ κυριακῆ ἡμέρᾳ in die Dominica. At quænam fuit ista? Si Sabbathum intellexisset Judæorum, Sabbathum proculdubio nominasset. Si alium quemvis è septimana, nullo præ reliquis privilegio insignitum, inanis & ambiguus esset titulus, ad implicandum potius quam explicandum comparatus. Quidni igitur ex hoc loco (cum duobus superioribus collato) tam Recentes, quam Prisci concluderent Interpretes, Respexisse hunc μακροβιώτατον Apostolorum illam μίαν σαββάτων, sive primum septimanae diem, in quo resurrexisset Servator, convenissent usitato Discipuli ad sacra peragenda, ordinasset Paulus collectas habendas, prout moris erat in Primitiva Ecclesia, (referente Apostolo termè contermino, in 2. Apologetico, Justino Martyre.) Ubi mutatio nominis rem mutatam significat, non quoad cultum Deo præstandum, sed temporis determinationem.*

7. Quid ergo? An diem, quem celebramus, Dominicum, prisco ritu, jure divino esse stabilitum asseremus? Ego quidem (Auditores) sine cujuscumque præjudicio, libentissimè concedo in istam sententiam. Utcunque displiceant media, quibus plerique hoc conficerent. Displicet illa illatio, *Deus benedixit diei septimo*, illumque sanctificavit in ipsius Naturæ cunis, ergo ex *natura* præscripto omnibus est observandus, cum dubitem, an ante Mosen, Patriarchæ illud observaverint, & didicerim, id non esse mutabile, quod naturæ Author animis nostris primitus inculpserit. Displicet 2. quòd postulant morale esse, ut è diebus septem unus publico cultui necessariò consecraretur. Ut *congruum*, omnes admittunt, ut *naturale*, quamplurimi probationem desiderant. Tertio, non caret scandalo, quòd textus quarti mandati, ad diei Domini firmitatem, tam indistinctè transfertur. Si *Analogia*, Insinuatio, aut mandati ratio hic sufficeret, quis non manus daret? At literæ dum scrupulosius in hærent, Iudaismum vix declinant. Quarto, nec placent hi, qui ex N. Test. pollicentur, quòd textus non suppeditat. Nam ubi apud Evangelistas, aut Apostolos, diei Dominicæ distincta institutio? Imò ubi textus, unde illud necessariò inferas, si incidas in adversarium, quicum punctim agendum sit, non precario? Nec tamen satisfacere videtur quintò nuda Ecclesiæ constitutio, quæ rescindi potest eadem facilitate, quâ coaluerit; quòd de diei Dominicæ sanctione, temerarium esset simpliciter asserere. Quare ut inter tot incerta, aliquid tan dem fixi habeamus: dicatur quidpiam esse *jure divino* duobus modis, vel quòd *institutum* habet in sacris Literis; idque vel expressè, vel certâ deductione erutum, vel *exemplum*, continuatâ Ecclesiæ praxi omni seculo commendatum. Institutum diei Dominicæ, sive expressum, sive elicatum, ostendat in sacris Literis qui invenerit. Exempla sunt satis obvia, quibus nitatur praxis Ecclesiæ. Altiùs qui venantur institutum, in V. Test. umbraculis, incidunt cum Ebionitis & Petrobrufianis in Iudaismi laqueos: Huc usque qui non ascendunt, caput rei non attingunt; in quòd & defluit primæva Benedictio, & confluit Mandati æquitas; non ex necessitate legis Mosaicæ, sed (ut rectè habet Chemnitius) *in libera Christianorum observantia*. Hic cum accedant Imperatorum, aut Regum rescripta, Conciliorum & Ecclesiæ canones, non conferunt Divinam auctoritatem, quæ defuit, sed referunt, quæ acceperunt à majoribus, posteris transferenda, & imperanda. Nec his præfractè adversantur, qui de hujus diei solennitate abjectiùs videntur statuere. Utcunque *habenda* sit (inquit Brentius)

Ita reddit A-  
rabs Fil-jau-  
milahadi in  
die uno id  
est primo  
Apoc. I. 10.  
ἐν τῇ ἡ-  
μέρᾳ κυ-  
ριακῆ.  
Apoc. I. 10.

Iun. in Bell.  
controv. 7.  
cap. 10.

Brentius) non pro mandato Evangelij, sed ordinatione politica: Ita tamen divina est, nec temerè violanda, imò qui ipsam negligit, Judæo aut Ethnico evadet eò deterior. In Levit. 23. Tanquam publici ordinis ac decori violatores, justa reprehensione dignos illos esse censemus, qui ad exemplum primitivæ Ecclesiæ, piam istam consuetudinem non observant, profitentur Arminiani. Quin & Azzorius Jesuita, de jure Divino, laxè, & strictè sumpto, in hac causa nobiscum distinguit: ut illud non tantùm eo gaudeat privilegio, quod in sacris Literis invenitur; sed quod ex earum, sive instituto, sive exemplis, & analogia, recta ratione deducitur. Pro Calvino, Bullingero, Bucero, Brentio, Chemnitio, Ursino, alijsque è nostris, qui diem Dominicum, per Ecclesiam mutabilem esse concedunt; respondet Fr. Suarez l. 2. de Relig. c. 1. Absolutè quidem est mutabilis; practicè verò non est, & in promptu est duplex ratio; tum quia instituta fuit juxta patrum consensum, in Redemptionis nostræ memoriam, per Servatoris Resurrectionem eo die consumatæ, tum quia non dependet tantùm à ritu Ecclesiastico, aut Politico, sed ab Apostolorum praxi, & expressa traditione; quos indubitato Spiritus Sanctus in omnem veritatem duxerit. Hisce igitur positis, qui adhuc proterviant; ac si Idolum aliquod Sabbaticum hinc constarent, ex Legis & Evangelij mistura, referre mihi videntur Judæum illum Teuxburiensem, in nostris Annalibus, qui fortè incidisset in cloacam; extrahi autem noluit supersticiosus eodem die, quia Judæorum erat Sabbathum, sequente non erat permissum, ne prophanaretur Christianorum dies Dominicus. Ita inter utrumque fœdè perijt, qui de neutrius Celebratione rectè sensit. (Unde Rithmi, Judæi Sabbatizantis:

*Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.*

*Christiani Respondentis:*

*Sabbata nostra quidem Salomon Celebrabis Ibidem)*

Atque hæc tertio restat à nobis paucioribus delineanda.

8. Tibi debetur certa laus *O Deus in Sione, & tibi rependendum est votum: O qui ex auditu orationem, ad te omnis caro perveniet.* Vita religionis & pietatis est publicus cultus, publici cultus Anima, pia & religiosa Celebratio. Hanc igitur qui minus habent, Irrisores, Socordes, aut schismatici, non tantùm inconfutibilem Christi tunicam, quantum in illis est, dilacerant: sed & cœlesti hæreditati, tanto emptæ pretio, tantâ propositæ benignitate, nuntium remittunt. Labyrinthum ingreditur, qui singulorum hinc persequeretur diverticula, aut dissonos clamores attenderet. Quæ de hac re involutiùs proponi solent, mihi revocanda videntur ad hæc duo capita, nempe ut in debita (de qua loquimur) Diei Dominicæ Celebratione, attendamus distinctius, 1. quæ præcipiuntur. 2. quæ permittuntur. Tria ista vocabula *Deo, Proximo, Mihi*, tanquam Mercuriales statuas erigit quidam, ad cursum nostrum inter quosvis hujus mundi anfractus dirigendum. Tria ista respiciunt commendata, seu potius injuncta nobis praxi Apostolicâ, sacrata hujus diei peragenda officia. Conveniunt Discipuli ad frangendum panem & verbum audiendum, quæ absque precibus præparatorijs, & solennibus, sublestum est aggredi. Act. 20. Ecce Deo suus cultus delatus. Instituantur Collectæ, 1. Cor. 16. Proximi hinc habetur ratio. Fuit in Spiritu Johannes die Dominico, Apoc. 1. Spiritus elata remigio ascendit pia contemplatio, & è torrente deliciarum propriæ salutis consulit. Ergo conventus solennes, hoc die præcipuè sunt habendi, preces publicæ celebrandæ, conciones audiendæ, eleemosynæ conferendæ, piæ meditationes attentiori conatu instituendæ & fovendæ. Unde consecrarium fit illud in Evangelio, quod in Legis eminet frontispicio, ab operibus, sive *servilibus*, sive *vocationis*, vacatio.

Inf. Moral.  
Par. 2. l. 1.  
cap. 2.

Foxus &  
Srous in vit.  
Hen. 3. Vo-  
lateran.  
Geograph.  
l. 3. fol. 65.

In locis  
part. 2 Tit.  
de lege Dei  
pag. 55.  
Vid. Diete-  
ricam Ana-  
lyſi logica  
Evangelio-  
rum Domi-  
nical. dom.  
17. poſt Tri-  
nit. pag. 555.  
Loc. com.  
Conſentit.  
Perkins in  
caſ. conſ. l. 2.  
cap. 16.  
D. Bond.

Rob. Locus.  
In Effigia-  
tione veri  
Sabbathifimi  
pag. 69.

2. Reg. 23.

2. Reg. 5.

catio. Cùm enim non extet, ſive præceptum, ſive exemplum, ſub Evangelio, quod Sabbathi Judaici ceſſationem diei affigat Dominico: nec admittat libertas Chriſtiana rigidam iſtam, & ceremonialem quietis obſervantiam; eatenus abſtinendum nobis eſt ab operibus, quatenus iſta, quæ præcipiuntur, non impediunt. Colligit Hieronymus ex Act. 18. 3. (referente Chemnitio) Paulum Apoſtolum, quando non habebat quibus in conventu publico concionaretur, die Dominicâ manibus laborâſſe: & Chriſtus ſingulari ſtudio multa fecit in die Sabbathi (ſicut rectè notat Chemnitius) ut oſtenderet ceſſationem *Legalis Sabbathi*; & Sabbathi (ſi nomen adhuc ſit retinendum, quod alicui è rigidiffimis in hac cauſa non placet) veram rationem in N. Teſt. demonſtraret. Summatim ut dicam, præcipiuntur iſta omnia, quæ cultum publicum promovent; permittuntur, quæ non impediunt. Illa autem ſunt vel opera *neceſſitatis*, ut cibos parare, Bovem è ſoſſa extrahere, vel aquatum ducere, incendium extinguere, & ſimilia; vel opera *charitatis*, idque vel reſpectu noſtri, permittuntur *Recreationes* cujuſcunque generis, quæ ſpiritus honeſtè refocillent, & mutuam alant conſortium. Ratione aliorum, non deſugiendus eſt quivis labor, vel moleſtiſſimus, modò proſit proximo, nec commodè *differri* poſſit. Ubi tenendum eſt illud ſemper, quòd Chriſtiana libertas immunis ſit à ſcandalo, dato ſaltem, licèt non accepto, nec larva charitatis obtendatur, ubi occultò movent machinam, cupiditas, faſtidium, vel neglectus Divinæ ordinationis. Quatuor ſiquidem ſunt ornamenta (ut rectè obſervat quidam) omnium feriarum, *Sanctitas, quies, lætitia, beneficentia*. Quod & ipſum movent apud Antiquos feſtorum nomina, מועד à יעד, congregare, conſeſtari, אגוד à אגוד gaudere, tripudiare עצרת à צרת cohibere, coèrcere ab impediendis negotijs. Pari ratione apud Græcos πανήγυρις, conventus denotat, & τέλετο impenſa, à quibus ſolenia eorum feſta nomen ſunt fortita. Atqui hiſce omnibus ſive laxamentis, ſive convivijs, ſive Ritibus alijs adiaphoris, limites præſcribat pius Magiſtratus, non præceptis cujuſcunque Zelus, qui ſchiſmatico quodam Stoiciſmo, de non ferendo ſtabelle, aut pulice non interficiendo, in Judaïſmum relabatur, aut projectus nepos, & fumidus, qui copulat ſe Belphegor, & comedit ſacrificia mortuorum.

9. *Adverſus hos fumantes Titiones, armandi hodie ſunt* hi Filij mei, ut Phineæ erecti zelo, & retundant horum furentes impetus, & iſtorum conſtanti pede conculcent Epicuriſmum. *O ſi quis daret mihi (inquit David) potum de cifterna quæ eſt in Bethlehem, juxta portam! Talem aquam, tales Heroas, poſtulant hac Eccleſiæ tempora, qui diſſipent obſtantes Philiftæos, & onuſti hoſtium ſpolijs in caſtra triumphantes redeant. Aut tales vos invenit hæc Academia, ad ſterilitatis eluendam aſperginem, aut ut languens iſta capella apud Bucolicum,*

Spem gregis ah ſilice in nuda connixa reliquit!

*Videtisne quid ſub exiguis pellibus arctatum vobis affero. Turris iſta Davidis eſt, ædificata ad propugnandum, mille clipei ſuſpenſi ſunt in ea, & omnes pelta potentium. Quid Abana, & Pharphar, & huiusmodi, ſive obſoletorum, ſive Recentiorum, ſeducerent vos Meandri? Salix hic fons ſolummodò in Iſtael, ad eluendam peccatorum lepram, è quo vel unus rectè ſelectus lapillus, & rotatu fundæ animoſè vibratus, proſtrabit quemvis Philiftæum, vel ipſo Goliah monſtuoſiorem. Dolenda certè fuit iſtius ſeculi calamitas, in quo emerſerunt in Theologia Doctores, qui (ut præſatur luſtus Ionas ad Lutheri tractatum contra Sabbatharios) libros V. & N. Teſtamenti in vulgata translatione nunquam conſpexiſſent. Ideòque Abrahamum, Iſacum, & Jacobum, pro ſæneratoribus habuerunt, & Rabbinulis, quos probri loco ludæis inter ipſos victitantes, objecerunt.* At nunc

Textores

Textores dedit textus, Doctoribus Antagonistas : quò circum spectiùs everrenda sunt, à vobis istarum araneorum stamina. Et ne capitibus nudatos vos confidentius adorian- tur : accedit pileum, è cuius quàquà versùs exporrectis cornibus, supersticiosi resiliant. Et quia Ocreis, ex prisco ritu instructi huc venistis, ad significandum vestram ad quod- vis Ecclesiæ obsequium promptitudinem : Non deerit vobis Annulus, Equestris in- signe dignitatis, ut tergiversantes intelligant, pedites, quam agrè à manibus vestris pos- sint fugà se subducere. Impeditissima deprecanda fuit à Judæis, in Sabbatho fuga, Mat. 24. quia calamitati adderet gravamen, violata religionis conscientia. Hinc ridiculè con- cluderent nonnulli Sabbathi Judaici confirmationem, , cuius pradixit tantum Ser- vator, ex superstitione incommodum. At non tali decempedà mensuratur diei Dominica itinerarium. Tempestivè & intempestivè, propiùs & remotiùs, eos emittit & revocat Christiana libertas, ubicunque implorat subsidium fraterna charitas. Sed quid ego sic accinctos tam diu hic detineo? Osculum addo, Doctores estis, valere, docete. Unicum superest, & finio. Si incidatis in tales Antichristi prædicatores, quales Romæ delituisse inter cives, lib. II. Ep. 3. queritur Gregorius, qui & die Sabbathi, quidvis facere, aut Do- minico lavare nefas esse duxerunt. Προσοχῆτε & diligenter prospicite (ut ille ibidem in- culcat.) ne peccati onera, quovis zeli pratextu, per portas irroducantur, quin potius id satagite, ut que intus latitant in lustris & popinis, severiùs ejiciantur. Peccati enim Originalis contagio, & depravata voluntatis ulcus, primum dabunt vobis in hoc circo, conflictus Doctoralis specimen. Admoveite igitur ita ulceri Cauterium, ut quod per na- turam primitus erat liberum, per gratiam tandem constet esse liberatum.

Pileum.

Ocreæ.  
Annulus.

Osculum.

Questiones  
Resp. Thom.  
Iackson.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui sancto, sit omnis laus, honor  
& gloria, in secula seculorum, AMEN.

